



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1765**

**VD18 90118243**

§.54. Alphonsus Imperio longam salutem dicit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](#)

Sæc. XIII.  
A.C. 1275.

p. 412.

mam Casuum Conscientiæ compositum, primum, quod sciam, hujus generis opus. Etiam inquisitionis Arragoniæ institutio totius Hispaniæ prima illi adscribitur. Consulebatur undique, ad conciliandos sibi secum versantum animos mire idoneus. Centum propemodum ætatis annos numerans die Epiphaniæ 6 Jan. an. 1275. ad Deum excessit. Justa funebria ambo Reges multique Præfules sua præsentia condecorabant: & quia complura de illo miracula in vita & post obitum edita referebantur, Rex Arragoniæ jam tum coepit eō conniti, ut cælestes illi honores decerentur. Quod tamen non nisi trecentorum post annis a Papa Clemente VIII. factum; & septimus Januarii ejus memoriam consecratus est.

p. 417.  
*Martyr. R.*  
7. Jan.

### §. LIV.

*Alphonsus Imperio longam salutem dicit.*

*Rayn. n. 14.* **R**ex Castellæ octavo post Pascha die nimirum 21 Apr. Galliam ingressus Belicadrum se contulit, ubi cum Papa per aliquot menses miscebat colloquia; sed incassum. Papa se a Rudolpho stare aperire professus, ejus electionem constanter tuebatur: ac Rex Alphonsus se legitimate electum semper affirmans, cum in Hispania

Hispaniam rediisset, utebatur iterum im- Sæcul.XIII.  
A.C.1275.  
peratorio, quem deposuerat, cultu si-  
gilloque ipso, quo muniebat litteras ad  
Principes Germaniæ Italiaeque scriptas,  
ut eos suis adjungeret partibus. Quo  
comperito Papa Hispalensem Archiepisco-  
pum per epistolam jussit, Regem coram  
testibus admonere, ut ab hac agendi ra-  
tione desisteret, alioquin censuris Eccle-  
siasticis afficiendus. Cum Archiepisco-  
pus mandatum egisset, Alphonsus tan-  
dem desit Imperii jus sibi asserere. Tum  
Papa ei decimas pro sumptibus belli con-  
tra Mauros, qui violenter ipsum impu-  
gnabant, concessit: atque hoc est, quod  
eum in causa dignitatis imperatoriæ tra-  
stabiliorem reddidit.

Sanctius Arragonum Regis filius na-  
turalis, Toletanus Archiepiscopus huic  
bello strenuam dabat operam: etenim  
collegit tesserariæ crucis copias, & in  
ethnicos duxit. Quod Papa, cum Be-  
licadri ageret, edoctus ei scripsit, tan-  
tum fervorem magnis extollens laudibus.  
Dabat 5 Sept. Sed Archiepiscopo in  
pugna cæso ethnici caput manumque  
lævam, qua suum annulum pastoralem  
tenebat, absciderunt.

n. 16.

T t 4

§. LV.